

tur, per quos aliquid effluit, atque sic per consequens, pro-
ut in primitivo eadem est significatio, processionem deno-
tat talem, qualem non nisi per inspirationem quandam fieri
constat.

XLIII.

Subjecto & prædicato thesios nostræ) additis & his quæ
addi videbantur) hūc in modū explicato, ut instituto nostro
satisfiat, ad illius probationem & confirmationem jam pro-
gredimur, demonstraturi S. S. à Patre & Filio procedere.

XLIV.

Et prius quidem quod attinet membrum, nempe S. S.
processionem à Patre, non sanè negant illam Græci, sed ul-
trò concedūt, verū Photiniani hac in parte nobis litē cient,
dicentes S. S. nullo modo ab æterno procedere à Patre, mul-
tò minus à Filio, tali modo, ut & ipse persona per se subsi-
stens sit. *Sic enim expressè Socinus in animadversionibus super præ-*
lect. Collegij Posnaniensis animadv. in assert. XV. pag. 63. Spiritum
Sanctum à Patre & Filio æternā processionem, tanquam ab uno
principio procedere, apud sacros scriptores nusquam legitur. Et Smal-
cius in refut. thes. D. Franzij, Præcept. nostri observand. pag. 8. Non-
nè idèò dici potest S. S. à Patre procedere, quia dona illa Spiritus San-
cti Patrem supremum, & primum habeant autorem, & plana erunt
omnia? & paulò ante, dum ad dictum illud classicum Joh. 15,
cum venerit Paraclætus, Spiritus veritatis, qui à Patre pro-
cedit, respondet: Hic nulla æternitatis mentio, nec eadem proces-
sio Christo etiam tribuitur, sed soli Patri, (modo concedit à Pa-
tre, sed quomodo?) nec S. S. ut personam procedere affirmatur.
Nos hīc exclamationem, quam eo in loco addit Smalcus,
meritò summoq; jure in ipsos retorquemus. *O audaciam ho-*
minum in confingendis erroribus, & ex unica vocula malè intellectu,
tam monstruosas deducendi opiniones.

XLV.

Contra horum fanaticorum hominum deliramenta, clas-
sicum illud & αὐτόπιστον scripturæ testimonium adducimus,
quod Joh. 15. 26. sic legitur. ὅταν ᾖ ἔλθῃ ὁ πνεῦμα ἁγίου, ὃ ἐκ τοῦ
πατρὸς ἐκπορεύεται, ἵνα ἰσχυρῶς
πραξι-